



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismvs  
Catholicus, summam Christianæ institutionis IIII. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

Quomodò regnum Dei no[n] est cibus & potus. tit. 234.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

&c. Hæc est carnalis libertas. Nam jubet Dominus obediens potestati, Roman. 13. & 1. Pet. 2. iubemur obediens omni creaturæ propter Deum. Qui ergo contemnit traditiones, etiam potestatem contemnit, & sic est peccatum. Subinde læditur charitas & unitas proximi. Concordia & charitas res magna est: ne illa violarentur, Paulus noluit manducare carnes in aeternum, 1. Corinth. 8. licet manducatio illa non iustificaret, sic propter concordiam & unitatem circumciditur Timotheus, Actorū 16. attamen quandō Iudei tribuebāt circumcisioni iustificationem, noluit circumcidere Tirum, Galat. 2. Hæc omnia in eum finē dicuntur, ut sciatur unde sit iustificatio & salus nostra, non scilicet à lege, cæremonijs, &c. sed per fidem impetratur in Iesum Christum. Subinde sequi debet obedientia legis, cæremoniarū & cultuum. Hæc tamen retinent & ampliorem reddunt gratiam.

*QVOMODO REGNUM DEI  
non est cibus & potus.*

**N**otandum primò quod Deus habet duplex regnum, in quo viuit & regnat: unum in cœlis, in quo Deus est & residet, ut rex immortalis & inuisibilis solus Deus, 1. Timoth. 1. Regi seculorum immortali & inuisibili, &c. Hoc regnum plenum est omni gaudio & bonis, sicut Esai. 46. dicit, quod oculus non vidit, nec auris audiuit &c. in hoc regno præsider omnibus angelis & creaturis. Aliud quoque regnum habet hic in terris DEVS, & illud non est res corporalis, nec extra hominem, nec cibus, potus, vestitus, locus, &c. aut pecunia, agri, domus, &c. Hæc omnia corporalia sunt, & extra hominem, sed est res spiritualis in homine, ut fides, charitas, humilitas,

LL 4 castitas,

castitas, misericordia, patientia, timor Domini, id genus fructus Spiritus sancti, Galat. 5. qui tales nostri spirituales in nobis excitat, & sic dicit Ap. lus Roma. 14. Regnum Dei non est cibus & potus, sed res corporalis, sed iustitia dei quae nos iustificat, non imputando peccata propter fidem in Christum: est pax conscientiae, de redemptione a peccato per CHRISTVM, quod nos damnare non potest: est gaudium in spiritu sancto, quoniam Christus nobis datus est, ut sit nostra sapientia, iustitia & sanctificatio, 1. Corinth. 1. Sic res spiritualis est regnum, quoniam ijs motibus spiritualibus viuit & regnat Deus in cordibus nostris.

Secundò, sic Christus Lucæ 17. Respondit Pharis, quærentibus in qua re staret regnum Dei: Regnum Dei non stat aut venit cum obseruatione, id est, exterius gestibus, ritibus aut pompis, neque hic aut in illo loco est, id est, non in cæremoniis externis, cuncta organis, candelis, vexillis, vel cibo, potu, &c. aut alijs externis rebus, sed regnum Dei intra vos est, id est, fides, dilectio, timor, spes, misericordia, pax & cæteri fructus Spiritus sancti, haec intra nos esse oportet & debent, & in his motibus viuit & regnat Deus in cordibus nostris.

Hoc regnum primūquærere iubet Christus, Matt. 6. vt habeamus fidem, dilectionem, timorem, &c. Hæc iustitia regni dei, & hac habita, cætera omnia adiungentur corporalia & cælestia. Hoc regnum Dei in terra sequetur regnum Dei in cælis, & nisi hoc præcesserit, alterum non sequetur, sicut nec sapor potum.

Tertio inquires: Nihil ergo sunt externæ obseruationes, & ritus ac cultus, cæremonie, cibus & vestitus locus &c. Respon. Hæc sunt ornamēta & quædā maiestas harū virtutū, id est, fidei dilectionis timoris sunt vestes nuptiales, sed non ipsæ nuptiae, & non sunt ipsa virtus. Sic abstinentia cibi, potus vestimentorum

&ceter. non per se & ex propria dignitate, sed quoni  
am ex fide & dilectione Dei procedunt. fides nostra at  
que dilectio ijs cultibus ornantur, ideo externæ ob-  
seruationes illæ non sunt nucleus, sed testa: nō virtus  
ipsa, sed ornamentū virtutis: attamē placent. Deo, &  
sua habet præmia, quoniā vincula & testæ sunt, in qui  
bus includūtur huiusmodi virtutes & regnū Dei, &c.

*MORS NATURALIS ET  
Christianæ.*

TITVLVS CCXXXV.

**D**RIMÒ, notandum, quod stipendium pro  
peccato, est mors in hominibus omni-  
bus, Roman. 6. Statutum est homini, cō  
quod peccauit, semel mori, Hebr. 9. Hæc  
mors naturalis fit semel, sed spiritualis  
per peccatum fit sæpe, Proverbior. 24. Septies in die  
cadit iustus & resurgit. Hæc mors naturalis commu-  
nis est cum cæteris animalibus, attamen hominis est  
cum spe resurgendi & gloriæ acquirendæ cum filijs  
Dei, Rom. 8. id quod nō habent cæteræ creaturæ, &c.

Secundò, homo Christianus omnem hic curam de-  
bet adhibere, vt scilicet Christianè moriatur: quod fit  
si in fide Catholica moritur, quoniam sectæ regnum  
Dei non possidebunt, Gal. 5. Secundò, si in charitate,  
deposita omni inuidia erga quemcumque hominem,  
moriatur. Nam Christus iubet reconciliari fratri  
tuo ante oblacionem doni in altari, Matthæi, 5. etiam  
non vult corpus tuum aut animam habere, si cum in  
uidia recedit. Tertiò, si in pœnitentia cordis recedit,  
id est, dolet, quod vñquam Deum offenderit & pro-  
ximum, & petit sibi indulgeri, sicut & ipse indulget,  
Matthæi, 6. Quartò, quod omnia propter Deum vo-  
luntariè relinquat, donum, vxorem, filios, amicos,  
thesaurum temporalē, cogitans, quod multo amœ

LL 5 niorem